

depraedantur animam, ut dixit Hieremias (c. 3), nec cantus puellarum, qui etiam, vel elephantes decipiunt, illic aure percipiunt; nec ibi videtur species virginis, quae vel rhinocerotem animal fortissimum capit, si gremium offerat: nec ibi lingua crebro peccat, quia ibi crebra silentia, ibi crebri anachersydes (Iacob. 1): *Si quis putat se religiosum esse, non refragans linguam suam, huius vana est religio.* Divus Augustinus (lib. de sing. Cleric.): *Mimus voluptatibus stimulat, qui non est, ubi adest frequentia voluptatum. Et mitius avaritiae molestias patitur, qui divitias non videt.* Ac tandem in solitudine alienus est solitarius a violando consilium illud tanti momenti omnibus monachis, ne nimis cum saecularibus hominibus conversentur: huiusmodi enim conversatio, et valde nociva, et longe aliena est ab instituto monachi. Primo ratione differentiae finis: monachus habet propositum coelam, alii tendunt ad infernum (Iob 21): *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto temporis ad infernum descendunt.* Peregrinorum alter intelligens alterum intendere Gentem, cum ipse tendat Hierosolymam, statim alteri *Vale* dicit. Videns igitur monachus alios tendere ad infernum, se in coelum, debet *Vale* dicere: (Proo. 1): *Fili mi ne ambules cum eis, pedes illorum ad malum currant.* Secundo ratione differentiae motus: nam licet saeculares tendant ad coelum, tamen gradu nimis tardo:

Sequiturque Patrem non passus acqui.

Monacho autem currendum, et volandum: (Ps. 54): *Quis dabit mihi pennas sicut columbae, et volabo, et requiescam.* Peregrinorum alter alteri *Vale* dicit, si illum negotia currere urgeant, et velit, et possit; alter autem accelerare gradum, aut nolit, aut non possit, aut non oporteat. Monachus ergo similiter. (Gen. 33) Iacob refugit societatem Esau dicentis: *Ego socius itineris tui? quod gres, et parvuli properantem assequi non possent, aut nolent: Quae conventio lucis ad tenebras?* Tertio ratione periculi. Ioannes Climacus (scilicet Parad. gradu tert.): *Qui post abrenunciationem cum saecularibus versatur, sine iacta illis, commodi cogitatione inquinabitur, aut certe si non inquinatus fuerit, eos, qui inquinantur, iudicans, atque condemnans, et ipse inquinabitur.* Divus Basilius (in quaest. fas. disputat. resp. quest. sexta): *In saeculo, qui plurimum peccata videt, in comparatione deteriorum se optime vitam agere existimat.* Confirmat divus Chrysostomus (hom. 36. oper. imper. in Matth.) ubi ait: *Sicut difficile est, arborem iuxta viam istam fructus suos usque ad maturitatem servare; sic difficile est virum fidelem iuxta istum mundum viventem, in suis operibus immaculatam iustitiam usque ad finem tenere.* Recede ergo de via, et planta te in loca secreta, ut nec mundus tecum aliquid habeat commune, nec tu cum mundo. Ovidius eleganter de nuce dixit:

Nux ego iuncta viae, cum sim sine crimine vitae
a populo saxis praeterente petor.
Causabor, quare sit lapidosus ager:

unde proh dolor frequenter contingit, ut sicut arbor in publica via posita non solum arduiter a bestiis, laeditur a curribus, spoliatur a viatoribus, sed saepe ieta lapidum temere iactorum laeditur, fortuito quoque alias fructiferas arbores plantatas in horti medullio; ita monachus saeculum frequentans non tantum ipse periclitabitur, sed aliis erit causa periculi.

Divus Athanasius (in vita Sancti Antonii), Antonium Abbatem Alexandrinum ferunt solitum dicere, nec expedire Christi servis eorum, qui saeculo servant domos frequentare, aut consuetudine uti: sicut enim pisces de aqua educti, continuo languescere, et emori solent; ita monachus extra coenobii septa vagantem, si quidquam confabulationi vacaverit alienorum, ad cordis lepiditatem redigi, et circa spiritualia exercenda effici tardiores necesse erit.

Quarto ratione officiorum.

Uterius: desertum, locus silentium, et eorum alii difficile, et indecorum est fere. Petrus egressus flevit amare. Ioseph iubet egredi cunctos foras; elevavitque vocem cum fletu in agnitione fratrum (Genes. 43). Qui tristes sunt, soli esse desiderant: solitaria loca amica moeroribus. Turtur viduata semper sola gemit, et luget. Virgilius (4. Aeneid):

Ovae culminibus ferali carmine ludo
Visa quaerit:

(Ps. 101): *Factus sum sicut nycticorax in domicilio, nycticorax nocte in desertis domibus ululavit, et plangit.*

Quintilianus (lib. 10. Institut. cap. 3): *Demosithenes, oraturus, scilicet, coram populo, se in locum, ex quo nulla exaudiri voce, nihilque prospici possit, recondebat; ne aliud agere mentem cogere oculi.* Monachus oraturus cum Deo, id ipsum faciat.

Quinto, ratione reputationis: *Nimia familiaritas parit contemptum.* Unde Plutarchus (tom. 1. vit. in Perycle) dixit: *Perycles Atheniensis, postquam rempublicam coepit curare, nunquam postea visus est ambulare per civitatem, nisi in forum ire, aut senatum invitatus: ad convivia non ibat, omnem talem amicorum consuetudinem reliquit, et toto illo prolixo tempore, quo rempublicam curavit, nunquam ad cuiusdam amici coenam ivit, dempto quod convivio nuptiali Euryptolemi nepotis sui interfuit tantum ad gratias usque, quando vinum diis offertur, statimque post surrexit; quia, ut ibi addit idem, huiusmodi familiaritates mire deticiunt omnem gravitatem affectatam, et difficile est, uti severitate perpetuo ne vicescas, cum omnibus familiariter conversando.* Decet autem monachum non vilesse.

Sexto, in solitudine Deus, instar matris, dulci suae consolationis lacte animam nutrit. Unde ubi nostra vulgata in Osee legit: *Ducum eam in solitudinem, et loquar ei ad cor:* alia lectio verit: *et lactabo eam:* hinc d. Basilius (orat. de laudib. erem.) enarrat delicias solitudinis: *Sunt quidem in deserto pugnae Edom, et Amalech, sed ad habendam victoriam: sunt serpentes quidem ignes, et vena spiran-*

tes, sed est aeneus, qui sanat: sunt aquae amarae, sed lignum est, quod dulces reddat. Est panis penuria, sed sequitur manna, sed est angelus ferens subinericium panem. Absunt carnes, sed pluit Deus coturnices: saxa sunt, sed percussa dant fontes aquarum, mellis, et olei. Solis ardor terret, sed umbra septuaginta palmarum, et duodecim fontes refrigerant; arma desunt, sed plus vincit Moyses orando, quam Ioseph dimicando. Quid plura. (Isai. 21) promittit erema colentibus divinae consolationis exuberantem plenitudinem: *Ponam desertum in stagna aquarum, dabo in solitudinem cedrum, et spinam, et myrtum, et lignum olivae.* Nec propheta id ex proprio Marte pollicetur, sed in persona Dei, cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XXII.

Proprium enim comitia, et utilitates maiore vitae coenobiticae supra vitam solitariam, in illa eadem verba: *Maria optimam partem elegit, quae non auferretur ab ea.*

Omnia ferme praeconia vitae coenobiticae, quam proflentur, ad haec mihi videntur vocari posse. Habemus in ea, quae necessaria sunt ad victum, et vestitum absque inani cura, et sollicitudine: habemus ad impetrandam divinam gratiam per preces a tota congregatione effusas, efficacissimum remedium: habemus usum talentorum, quae quisque de manu Domini accepit: habemus multarum bonarum actionum in proximorum utilitatem uberium meritum: habemus lucem splendidissimam ad obtinendam nostri cognitionem: habemus in tentationibus praesidium fratres, qui verbo, et exemplo nos ad perfectionem provocent: praelatos, qui nostros errores corrigant, et tandem spirituales magistris, qui nos frequenter instruant.

Sed iam pergo singula haec ostendere. Primo, solitarii non potest non distrahi ob eorum sui victus, et quantumvis necessaria ei praebentur, cura illa servandae, et praeparandae ad quotidianum prandium, mentem ad terram trahet, et a contemplatione divellet. Et ecce hominem, qui elongavit se fugiens, et mansit in solitudine, ut lotus contemplationi vacaret, sua spe frustratum. Quid si non solum sibi, sed etiam hospitibus ad eam aedificationis gratia venientibus, debeat alimenta parare? tunc necesse erit ab interna quiete praepeditus, barbari, ut Marthae erga plurima. Unde Ioannes Cassianus (colla. 19) refert, ob hanc solam causam Abbatem Ioannem solitudinem reliquisse, et ad coenobium confugisse, egre-giam illam sententiam proferentem: *Id, quod mihi de illa theoretica sublimitate subtrahitur, obedientiae subiectione pensabitur.*

Secundo, facilis impetrat humilis oratio non ab uno solo, sed ab universa congregatione profusa. Unde Leo Papa (serm. 3. de ieiun. 7. mens. cap. 3) ait: *Plenissima oblinetur pecu-*

lorum abolitio, quando lotus Ecclesiae una est oratio, et una confessio. Si enim duorum, vel trium sanctorum, pio consensu omnia, quae pro-poseverit, Dominus praestanda promittit; quid negabitur multorum millium plebi, unum observantiam pariter exequenti, et per unum spiritum concorditer supplicanti? Tanti sane momenti est oratio ab una congregatione progrediens, ut impiorum Novitarum deprecationi Dominus aures non obstitaverit, sed eam benigne, misericorditerque suscepit. Denique miserus est Deus supra multam, quam loquutus fuerat, ut faceret eis, et non fecit. Si tantum potuit multorum impiorum communis oratio, ut eorum iniquitatis non minus quam peccata Sodome pro ultione clamantibus, veniam, et misericordiam impetraret; quid non poterit uno corde, et uno ore fusa deprecatio iustorum? quid non ab illo obtinebit, cuius oculi super iustos, et aures eius ad preces eorum? Hic itaque validissimo sanctitatis praesidio illi privati sunt, qui solitarii viventes, non conspiciunt fratribus, qui irruente tentatione aliqua, aut occurrente quapiam necessitate, pro ipsis exorant.

Tertio, est in vita solitaria magnum aliud incommodum, nempe talentorum nobis commissorum absensio. Cum enim nemo fere sit, qui aliquo Dei dono polleat, nam ut inquit Apostolus (1. Cor. 12): *Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiae: alii autem sermo scientiae secundum eundem spiritum: alii fides in eodem spiritu: alii gratia sanctorum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum; consequens est, ut solus in eremo positus, hoc donum Dei, quod accepit, habeat absconditum, nullamque ex eo, aut in se, aut in illius utilitatem percipiat: (Ecc. 20): *Nam sapientia absconsa, et thesaurus invidus, quae utilitas in utrisque? qui huiusmodi est, obiens fudit in terram, et abscondit pecuniam domini sui.* Nam, ut inquit divus Gregorius (1. part. past. cap. 8), *pecunia in sudario ligata, est percepta dona sub otio lenti corporis abscondere.* Bene sane ista donorum effusio, pecuniaeque spiritualis ligatio, ex ipsa tua, o solitariae, operatione cognoscitur. Nam literatus, quem doces, praedicator, quem ad bonam frugem convertis, ubi sunt? Cerle cum Eliu dicere poteris (Iob 32): *Plenus sum sermonibus, et coarctat me spiritus utriusque.* *Haec venter meus tanquam mustum absque spiraculo, quod lapunculus nocens dirumpit.* Prudens, cui quondam praebes? sacerdos, cui sacramenta ministras? sanctus, quem aedificas? robustus, in cuius utilitatem laboras? time ne servus malus, et piger voceris, et dona accepta dilapidas, dum ea infructuosam relinquis. Haec omnia in solitudine otiosa sunt, in coenobio vero negotiosa, quae suis laboribus in hac vita usum, in futura vero praemium super mensuram recipiunt.*

Quarto, quia vitae solitariae necessarium est, ut deficiat multitudo illa meritoria bonorum operum, quae coenobiticae vitae nunquam deficit: nam coenobium est veluti unum corpus ex diversis partibus, membrisque compactum.

Unde sicut hominis corpus uno, eodemque tempore, et oculis videt, et auribus audit, et lingua loquitur, et manibus laborat, et pedibus graditur, et unumquodque membrum, non tantum labore proprio, sed laboribus quoque ceterorum membrorum perfruit; ita prorsus in coetu multorum, qui unum est mysticum corpus, dum ille orat, isle legit, alius praedicat, alius ignorantes instruit, et alius manibus laborat, unusquisque, et propria actione gaudet, et particeps laborum aliorum fratrum efficitur. Contra vero est, inquit Basilii, in eo, qui solus est: dum enim unum coequit, ab alio impeditur; veluti aegrum visitans, hospitium recipere non potest, neque in opere faciundo, studium retinere, qui in partendis, distribuendis ad usum vitae necessariis rebus occupatur; praesertim, quando in ministeriis hinc obviandis, fratres dicitur necesse sit destinare, seu detineri. Tantum ergo distat vita eremica, et coenobitica, quantum homo incolumis, et omnibus membris constans ab eo, qui usu suorum membrorum destituitur.

Quinto, quia facilius in coenobitica vita, quam in solitaria adipiscitur homo cognitionem sui, suorumque defectum, quae valde necessaria est ad incrementum humilitatis. Quod non obscure indicant verba illa Sponsi (Cant. 1), ubi animam solitariam alloquens dicit ei: Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum tuorum, et pasce haedos tuos iuxta tabernacula pastorum. Inter greges ergo, hoc est, inter sanctorum coetus, et religiosorum familias, anima locum, ubi Christus pascat, invenit. Pascat haedos suos, hoc est, inordinatas affectiones, iuxta, seu in tabernaculis praelatorum comprimat, illisque libens se subiciat, et in seipsa floridum sponsi cubile, nimirum spiritum virtutibus, tanquam floribus respersum reperit. Si autem neque istos greges imitatione sequatur, neque tabernacula istorum pastorum adeat, non facile valebit agnoscere, an in seipsa locum Christo paraverit, neque quantum in sanctitate profecerit.

Sexto, in vita coenobitica non desideratur multitudo earum virtutum, quae contubernium posulant, quae tamen necesse est deficiat vitae solitariae, fratrum societate carenti. Obsequentia namque sine imperio praelati corrumpit, mansuetudo sine illatore iniuriarum evanescit; benevolentia sine indulgente non subsistit; et sic aliae quamplurimae sine externa materia, circa quam versentur, olosa sunt, et veluti occasione defectu compeditae. Hanc multiplicis virtutis exercendae defectum, qui in solitaria vita reperitur, sanctus Basilii his verbis eleganter describit (regu. sept. fus. disput.): *Qua enim re humilitatis suae documentum dabit, qui neminem habeat, quo seipsum humiliorem declarat? Quod item specimen edat sine in alios commiserationis a plurium communione dissectus, cui cum nullo penitus commercium sit. Ad patientiam vero quomodo tandem se exercebit, cum voluntarius illius obstat nemo? Quod si quis dicat, ad componendas animi sui affectiones, morsusque recte instituendos, sufficere sibi divinarum literarum doctrinam; si similis illi*

perhibetur, qui aedificare quidem didicit, altamen nunquam aedificavit: et illi, qui aes dederit didicit, sed nunquam illud in actum deduxit. Sine dubio autem in huiusmodi hominem probe Apostoli illud convenit (Rom. 2): *Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.*

Septimo, deficit vitae solitariae in tentationibus fratrum invivam, qui exemplo suo, multoque convicliu ad omne genus virtutis incitant; ut enim dixit Ecclesiasticus (c. 4): *Melius est in bello adversus daemones duos esse simul, quam unum: habent enim emolumentum societatis suae. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur: et alibi (Ecl. 6): Amicus fidelis, protectio fortis; qui autem invenit illum, invenit thesaurum. Amico fidei nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri, et argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitae, et immortalitatis: et qui metunt Dominum, invenient illum. Ac tandem (Pro. 18) Salomon ait: Frater, qui adjuvat a fratre, quasi civitas firma. Hac autem firmitate necesse est careat solitarius fratre carens. Hinc divus Hieronymus (epistola quarta ad Rusticum) monet illum, ut coenobiticam vitam amplectatur: *Mihi quidem placet, ut habeas sanctorum contubernium, ne ipse te doceas, et absque doctore ingrediaris viam, quam nunquam ingressus es, statimque tibi in partem aliquam declinandum sit; et errori pateas, plusque, aut minus ambules, quam necesse est, ne aut curvens lassaris, aut moram faciens obstruas. In solitudine cito subrepiit superbia, ut si parumper jeinaverit, hominemque non viderit, patet se alienius esse momenti, oblitusque sui, unde, et quo venerit, intus corde, lingua foris vagatur. Indicat contra Apostoli volutatem alienos servos, quo gula volaret, porrigit manum, dormit quantum voluerit, omnes inferiores se putat; crebriusque in urbibus, quam in cellula est, et inter fratres simulat verendum, qui platearum turbis colliditur.**

Octavo, vitae solitariae negari non potest Praelatorum correctionem deesse, quae adeo iuvat cognitionem, ut illa sublata, difficulter animus noster vitia agnoscat, et difficultus illa emendet. Unde divus Isidorus (lib. de sum. bon.) ait: *Facilius reprehendimus vitia aliena, quam nostra. Nam saepe, quae perversa in aliis indicavimus, in nobis nocibilia esse minime sentimus. Et Dominus huius correctionis instrumentum servos suos se gubernaturum promittit. Et assumpsit, inquit per Zachariam (cap. 11), mihi duas virgas: unam vocavi, decorem, et alteram vocavi, funiculum, et pavi gregem. Virga, quae vocatur decore, est correctio praelati saavior, et qua pusillos, et facile obsequentes corripit. Virga, quae appellatur funiculus, est correctio praelati saevior, qua duros, et proteros emendat. His duabus virgis pascit Dominus religiosorum greges, et in uberrima pasca deducit. Beati qui huiuscemodi virgis reguntur, et correctionis doctrinam suscipiunt, et reprehensionis onus non detrectant: erunt enim illius benedictionis particeps (Psalm. 22): *Dominus regit me, et nihil mihi deerit: in loco pascaeae tibi me collocavit.**

Ultimo, inter praesidia vitae spiritualis nemo ignorat magistrorum instructionem, ac frequentem doctrinam magni momenti esse; qui tamen careat solitariae vitae cultores. Unde merito exorare debent, quod olim Moyses (Num. 27): *Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis hominum, qui sit super multitudinem hanc: et possit eire, et intrare ante eos, et educere eos, vel introducere: ne sit populus Domini, sicut oves absque pastore. Quae vero ex his solitariis magisterio divino interiori inspirante, sufficienter sibi provivum esse noverit, audiat quaeso piissimum Dionysium Richelium in hunc modum loquentem: *Quamvis omnipotens, omnisciens, et ubique praesens Deus, per se, et per angelos sanctos, ac cives supernos, in omnibus valeat plane succurrere; altamen naturale, et conaturale est homini per eos quoque, qui sibi similes sunt in natura, et in eiusdem secum sunt status, utpote viatores, dirigi et iuvari, doceri, ac gubernari, in tantum, ut servi Dei dicantur esse, quasi oves sine pastore, et sicut grex sine custode; nec duo posse durare, nisi huiusmodi sibi similem in natura, ac statu passibili, quem possint videre, et alloqui, habeant directorem, ac praesidentem. Accedit ad haec, quod Seneca (epist. 25) dixit: *Omnia nobis mala solitudo persuadet: et Augustinus (lib. 1. Pol. cap. 3) inquit: Virtutem habens in gradu heroico, aut nullo indiget, aut nulli convenit. Quid quod solitudo audacem facit malitiam. Unde Daniel (c. 13): *Senes Susanna dixerunt, nemo nos videt.****

Ne autem quispiam me insipienter solitariam vitam despiciere, aut vilipendere arbitretur, audiat precor divum Hieronymum pro me respondentem (epist. 4. ad Rustic.), ubi haec verba profert: *Quid igitur solitariam vitam reprehendimus? minime quippe, quam saepe laudavimus; sed de ludo monasteriorum huiuscemodi volumus ecri di milites, quos eremi dum rudimenta non terreat, qui specimen conversationis suae multo tempore dederint: qui omnium fuerint minimi, ut primi omnium fierent: quos neque esuries aliquando, nec saturitas superavit: qui paupertate laetantur, quorum habitus, sermo, vultus, incessus, doctrina virtutum est: qui nesciant secundum quosdam ineptos homines, daemonum pugnantium contra se portenta fringere, ut apud imperitos, et vulgi homines, miraculum sui faciant, et exinde lucra sectentur. Similia tradit divus Benedictus (in regula cap. 1), ubi inquit: *Secundum genus monachorum est anchoretarum, id est eremitarum hominum, qui non conversionis fervore noverit, sed monasterii probatione diuturna didicerunt contra diabolum, multorum solatio, iam docti punare; et bene instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam eremi, securi iam sine consolatione alterius, sola manu, vel brachio contra vitia carnalis concupiscentiae, vel cogitationum, Deo auxiliante, sufficienti punare. In eadem sententiam conspirat Cassianus (coll. 18. c. 4), ubi ab illis, qui vitam solitariam aggressuri sunt, et virtutum perfectionem, et iugem prius in coenobis habitationem requirit: sic enim ait: *Secundum genus monachorum est anchoretarum, qui prius in coenobis in-***

*stituti, iamque in actuali conversatione perfecti solitudinis elegere secreta. [Quod confirmat nostri Salvatoris exemplo, qui primumquam in desertum secederet, baptizari voluit, et Spiritus sancti in se manentis signum visibile ostendere, et sic omnem implere iustitiam. Accedit angelicus doctor, qui (2. 2. quaest. 188), horum Patrum doctrinam amplectens, haec scripsit: *Solitarius debet esse sibi per se sufficiens. Hic autem est, cui nihil deest, qui scilicet, aut Dei solo manere, ut Ioannes Baptista repletus Spiritu sancto, ex utero matris suae; aut excitatione virtutum, ut alii sancti; aut perfectionem, aut consummatam virtutem pervenit. Subscribit beatus Laurentius Iustinianus (lib. de vita solit.) in haec verba: *Qui humano destituit solatio, quoad exierint, laudabiliter quant in cella persistere, illorum tantum esse arbitror, qui paraeleum possident, atque virtute prudentiae, ac naturali pro ingenio; qui, ut ait Apostolus (2. Cor. 2), non ignorant astutias satanae, seivique esurire, abundare, et penuriam utriusque hominis pati. Hinc divus Bernardus (in Cantica serm. 64) permultos docet deceptos, qui praetextu maioris perfectionis ad solitudinem confugerunt, et imperfectiones evaserunt: praecleara eius verba sunt haec: *Quantos ex monasteriis spiritu ferventes eremi solitudo suscepit, et aut tepescit evolvit, aut tenuit contra eremi legem non modo remissus, sed etiam dissolutus; seque apparuit vulpeculam affuisse, ubi tanta facta est vastatio vineae, id est, vitae, et conscientiae hominis detrimtum. Cogitabat, si solus degeret, multo se copiosiores fructus spiritus perciperem, quippe qui in communis vita tantum spiritualis gratiae fuisse expertus, et bona vita est sibi sua cogitatio. Sed rei exitus indicavit, magis eandem illi cogitationem vulpem demolentem fuisse.****

Ad extremum, spiritualium solitudinem omnibus vitae miserae cultoribus valde curandum exhortamur, quam illi exserunt, qui corpore positi in aulis, curis, et negotiis mundi huius, animo tamen maxime sunt cum Deo, salutis suae non obliviscuntur, et aiunt (Philip. 3): *Nostra conversatio in caelis est. Necessaria haec omnibus.*

Cyprianus (de ietu. et tent. Chr.): *Animi omnino necessaria est solitudo, ubi erecta specula mens sibi insopita praevideat, et detorsio rubigine coruscantibus armis, importunum hostem terreat, et repellat.*

Divus Bernardus (serm. 40. in Cant.): *Solus eris, dummodo vanis, et communibus cogitationibus vale deens non appetas praesentia: si contentis, quae mundus miratur: si tua desideria contentis: si fugis lites: si lucturam rerum temporarium parvipendas: si non memineras iniuriarum. Nam aliter, etsi solus sis corpore, non poteris esse solus spiritu, nec vivere.*

(Daniel cap. 6), cum non posses Daniel media Babylonie, et mediis curis postis corpore esse in templo Hierusalem: *Ingressus est domum suam, et fenestris apertis in coenaculo suo contra Hierusalem tribus temporibus in die steteat genua, et adorabat, confitebaturque coram Deo suo, sicut et ante facere consueverat. Ba-*

bylon, idest, confusio, Hierusalem, visio pacis, in confusione pacem animo sequebatur. Tu in Babylone negotiorum fenestras animae versus Hierusalem aperis: animo, et idealiter esto in Hierusalem, nam animo quolibet ire licet. Ovid. (in *Tristibus*):

In turba, non in turba.

ut Ioseph in medijs negotiorum Aegypti turbinibus.

Ad haec si fortuita cogitatio efficit quandoque, ut obvis non videamus, non audimus vel tympana, etc. ut in itinere erremus, nunquid id non poterit voluntarie assumpta musica, si placet? Si lectio Virgilii placet, dum canitur, dum legitur, nec in medio strepitum crepitum audiamus. Si coelestia placent, terrena fastidiumur, nec mundum strepitum audies, et cogitatione in cogito versaberis solum cum nullis.

Faleor tamen etiam monachis coenobiticam vitam agentibus sollicite curandam esse non solum solitudinem hanc, quam praediximus spiritualem, sed etiam corporalem a saecularium hominum convictu, quantum absque spiritualis proximi utilitatis praedicio fieri possit, sequestrationem, hoc enim et nomen ipsum monachi praesertim, quod unum graece significat. Unde divus Hieronymus (epistol. ad Heliod.) inquit: Interpretare vocabulum monachi: hoc est unum: quid facis in turba, qui solus es?

Si cupis esse, quod dixeris, monachus, idest, solus, quid facis in urbibus, quae utique non solum solorum habitacula, sed multorum. Ioannes Cassianus (collat. 18. Abbat. Pionensis cap. 5), ait: Inde monachus dicitur est, quod coniugijs abstineret, et a parentum se consortio, ac mundi huius conversatione secerneret. Divus Dionysius (cap. 6. Eccles. Hierarch.) tradit: Monachos appellari, quod visibilibus relictis, non nati, idest, divinitati soli placere contenderent: cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XXIII.

Varias in medium producimur figuras, et tropos, vitam mistam repraesentantes, quorum sancti Patres meminere; permultaque docemus ad hoc vitae genus pertinentia, in eadem verba: Maria optimam partem elegit, etc.

Cum de vita activa, et contemplativa hucusque disseruerimus, reliquum est, ut de vita mista, quae utramque illam amplectitur, sermonem instituantur. Hanc in sacris eloquijs video egregie adumbratam in animalibus, in foeminis, et in viris. Prima imago a Patribus multum decantata ex animalibus Ezechielis desumitur: narrat ille (cap. 1), se vidisse ventum rapidum venientem e Babylonia, et nu-

ber tenebrosam a vento ipso raplam, et inguem ipsam circumdantem, a quo splendor egrediens, nubem circumvallabat, atque de medio ignis speciem purissimi electi apparentem: et subdit (Ezech. 1): Et in medio eius, scilicet, ignis, ut exponit d. Hieronymus, similitudo quatuor animalium. Haec quatuor animalia vitae mistae sectatores adumbrant: quia sicut illa non dicuntur esse animalia, quae vilia, et terrestria sunt, sed animalium similitudines; ita isti, licet instar animalium, quibusdam terrestribus bonis ad vitam sustentandam indigeant, operibus tamen suis nimiam animalia, sed angeli censei debent, cum dicere illud Pauli (1. Cor. 10) possint: In carne ambulantes, non secundum carnem militamus. Hi inter caligines nubium, inter tempestates, et flammam ignium venire dicuntur, quia non in solitudine, sed inter mundanos vitam agunt, a quibus persaepe varias persecutiones patiuntur, ut expertus est divus Paulus vitae mistae archimagister cum dicebat (2. Cor. 3): Cum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus: foris pugnae, intus timores: et (ibid.): Ter virgis caesus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte, et die in profundo maris fui. Quod autem postea subdit (Ezech. 1): Et hic aspectus eorum, similitudo hominis in eis, Christum significat, qui formam servei accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus est, ut homo. Etenim animalia illa mimae sancta fuissent, nisi huius Dei hominis similitudinem exprimerent, humilitateque, mansuetudine, doctrinae puritate, charitate, et zelo animarum illum annuarentur. Postea ait sacer Textus (Ezech. 1): Quatuor facies uni, et quatuor pennae uni. Pedes eorum, pedes recti; et planta pedis eorum, quasi planta pedis vituli; et scintillae, quasi aspectus aeris candentis. Haec sancta animalia, facies, et pennae, et pedes habent: facies ad Dei cognitionem: pennae ad amoris affectum; pes vero ad actionem refertur. Unde ita Deo cognitione, et amore iunguntur, ut tamen actionem non deserant; et ita actioni vacant, ut tamen lucem contemplationis, et suavitatem amoris non derelinquant. Pedes autem eorum recti sunt, et instar pedum vituli efferati, qui et graves sunt, et fortes, et unguem habent divisam, ut ipsi animarum ministri suorum operum intelligant qualitates, si facies, et pennae, hoc est contemplationis donum nolant amittere: debent namque servare maturitatem in opere, fortitudinem in perseverantia, et divisionem unguetae in discretione: ut enim inquit Gregorius: Non facile praedictio eius accipitur, si levis in moribus esse videatur, et nulla erit maturitatis ostensio, si contra adversa omnia, non ad fuerit operis fortitudo. Virtutis autem meritum ipsa fortitudo operis amittit, si discretio in intellectu non fuerit. Ait insuper (Ezech. 1). Et manus hominis sub pennis eorum. Manus vitam activam, et penna contemplativam significat. Quid igitur erit, ista sacra animalia habere manus sub pennis, nisi opera vitae activae non impetu appetit naturalis effunderet, sed discretione contemplationis dirigere, et

in principium omnis boni, nimirum in Deum, revocare? manus hominis sub pennis abscondere, est illud Salomonis (Prover. 4) observare: Oculi tui recta videant, et palpebrae tuae praecedant gressus tuos; hoc est, ut exponit venerabilis Beda: Iter iustitiae, quo ingredi debeas, diligenter edisce, et in cunctis, quae agere disponis, sollicitus ad quem sint finem ventura, praecide. Hoc est enim, palpebras rectas videndum oculorum tuos praecedere gressus, bonum opus, quod acturus es, sedula cogitatione praevenire, et quod secundum Deum sit meditatio. Cum sic manus sub pennis sunt, tunc erunt in quatuor partibus, quia vineae Domini cultor generale desiderium in se sentit omnibus proficiendis, neque huic, aut illi generi hominum suum ministerium alligabit. Qui enim hoc, exempli gratia, nobiles, ac divites liberiter iuvat, et alios, nimirum plebeos, et pauperes moleste suscipit, nondum habet manus sub pennis, quinimo ratione non se regit, sed naturae proclivitate se deducit, quia non tam animarum salutem quam inanem applausum, et vanum honorem inquitur. Iste non habet sicut sancta animalia manus in quatuor partibus, quia in unam tantum partem inclinat, ei prodesse cupit; reliquas vero, ac si nullius essent momenti, contemnit. Quid autem amplius quaeso boni percipiunt ex manibus sub pennis constitutis? certe illud: Inunctaeque erant pennae eorum alterius ad alterum: super quae verba divus Gregorius Nazianzenus eleganter dixit: Inunctae pennae, pacis, ac concordiae indices sunt: multo se constringunt propter societatem, et concordiam. Praedicatorum enim, ad quos magis pertinet mistam vitam agere, oportet, ne se invicem mordeant, nullius alterius bonum nomen, et auctoritatem denigrare contendant; sed arctissimo pacis vinculo socientur, iuxta divinum Christi oraculum (Mare. 9): Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos, haec index est verae sapientiae: nam ut ait d. Iacobus (in sua Canonica. cap. 3): Quae deservum est sapientia, primum pudica est, deinde pacifica. Quare qui multo seipsos detractionibus dilaniant, mundana sapientia potius tumet, et actionum manus, non sub pennis sanctae orationis, et contemplationis ponunt, sed sub vitio propriae gloriae, et ambitionis abscondunt. Est etiam aliud, quod ex manibus sub pennis positus subsequatur, nimirum, quod non recedebantur, cum incederent, sed unumquodque ante faciem suam gradiebat. Quibus non obscure innuitur, id maxime curare debere mistae vitae sectatores, ne exercitia propria illius deserant, sed propriae, et proximo salutis pariter incumbant, memores sententiae Domini (Luc. 9): Nemo mittens manum suam ad aratrum, et aspiciens retro aptus est regno Dei; illudque semper timentes, ne sicut uxor Loth post se respiciens, in statuam salis converta est, ita nec sibi ipsis, nec proximis pro sint.

Ceterum cum propheta Ezechiel hucusque dixerit, unumquodque istorum animalium quatuor faciebz constare, neque earum figuras declaraverit; nemo profecto erit, qui istarum facierum lincamenta scire non appetat: tunc legentium de-

siderio ipse satisfaciens dicens (Ezech. 1): Similitudo autem vultus eorum: facies hominis, et facies leonis a dextris ipsorum quatuor: facies autem bovis a sinistris ipsorum quatuor, et facies aquilae desuper ipsorum quatuor. Talis esse debet minister evangelicus, cui tractandarum animarum cura committitur. Homo, qui sciat pusillitas, ac miseris peccatoribus compati. Leo, qui noverit adversus peccata rugire, et comminationes divinas terribiliter tonare. Bos, qui possit sollicitudinem onera sustinere. Tandem aquila, quae contemplan-do coelestia, valeat res terrenas effugere, et ad Deum sublimiter avolare. Alio modo istas perfecti hominis facies exposuit d. Gregorius: Omnis, inquit, qui in ratione perfectus est, homo est: et quoniam senectipsum ab huius mundi voluptate mortificat, vitulus est: qui vero ipsa sua spontanea mortificatione contra adversa omnia fortitudinem securitatis habet, unde scriptum est: Iustus autem, quasi leo est. Qui vero sublimiter contemplantur ea, quae coelestia, atque terrena sunt, aquila est. Ambrosius aliter: Nam in omni sapiente viro, ait, prudentes Graeciae esse memoraverunt prudentiam, fortitudinem, temperantiam, atque iustitiam. Prudentiam enim rationis humanae est: fortitudo vim quandam ferocientis virtutis habet, mortisque contemptum: temperantiam servat vincula charitatis, neglectiorumque contemplationis coelestium, mysteriorumque videt: iustitia in alto quodam suggestu lorata et volat, exploratque omnia, quae aliis potius nata, quam sibi: non tam suas utilitates, quam publica evoluta rimatur. Meritoque anima operata iustitiam formam aquilae accipit, quod terrena effusis, totaque coelestis, sublimis, et intenta mysterio resurrectionis gloriam pretio aquilae adipiscitur. Verum non est silentio relinquendum, quare facies leonis a dextris, facies bovis a sinistris, et facies aquilae desuper esse memoretur? existimare enim, quod haec facierum distributio mysterio vacet, nimis reputatur absurdum. Facies hominis prima se offerbat, et in primo prospectu valis sapientis erat: quia haec est, veluti praecipua, et magis curandis animabus necessaria, praedicatoris virtus, humanitas, atque benignitas, quae peccatores allicit, et ad quaerendum a tam pio Patre remedium invitat. Facies leonis erat a dextris, quia increpationes ea prudentia, et circumspectione debent esse conditae, ut felicem successum in dextera signatum accipiant. Facies bovis a sinistris, ut cum aliquid sinistrum, vel adversum acciderit, ibi sit fortitudo vituli, quae impositum onus non deserat, et adversitates pro frater salute suslineat. Facies vero aquilae desuper apparebat, nam divinorum contemplatio, et recursus ad Deum omnibus aliis debet eminare, benignitatem dirigere, adversitati se opponere, et increpationem temperare. Quia tamen in longum abiret oratio, si singulas horum animalium proprietates prosequi tentarem, solum illam apponam, quam indicant verba illa (Ezech. 1): Unumquodque eorum coram facie sua ambulabat. Quo non obscure docetur, huius vitae mistae sectator sollicitam curam sui gerere debere, undequaque se, et suas actiones omnes circumspicere, non sane haec, et illae a sensibus suis duci, sed illa

sancta animalia imitari satagat, de quibus idem Propheta; et (eodem loco) ait: *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradientur.*

Sed ad insignes foeminas commemorandas venio, quae vitam hanc mistam adamussum praesentantur. Prima fuit, ut auctor est Hugo Victorinus (*libro de claus. an. cap. 20*), regina Saba, cuius iter discendi gratia sacra Scriptura commemorat. Nam relicto patrio solo venit Hierosolymam tentare Salomonem in aenigmatibus; a quo, cum ei suas proposuisset subtilitates, ita est luculenter edocta, ut nullum scrupulum Salomon, nullum nodum insolutum reliquerit. Videns autem apparatus domus regiae, et profundissime considerans, veluti in extasim raptā dicebat: *Verus est sermo, quem audivi in terra mea super sermonibus tuis, et super sapientia tua, et non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, et vidi oculis meis, et probavi, quod media pars mihi nuntiata non fuerit: maior est sapientia, et opera tua, quam rumor, quem audivi.* Nec sola haec magnifica laudatione contenta, dedit regi centum viginti talenta auri, et aromata multa nimis, gemasque pretiosas, ut tum amoris, tum grati animi significationem ostenderet. Quanam est ista regina, nisi aut vita mista, aut anima religiosa, quae huius vitae se officis consecravit? Quae est ista regina austria, inquit Richardus, et illius calidae regionis habitatrix, et domina, et videndi Salomonis desiderio succensa? quae, inquam, est regina ista, nisi quae libet anima sancta, sensibus, et appetitibus carnis, cogitationibus, et affectibus mentis fortiter praesidens, et summi regis, verique Salomonis dilectione ferrens, videndique desiderio ardens? haec anima in regina Aethiopiae figuratur. Tullis quippe erat regina Saba, ut Theodoretus ait, nigra, et pulchra, quia potest rectissime dicere: *nigra sum, sed formosa, filiae Hierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Nigra quidem cura, et solitudine actionis, formosa vero requie, et tranquillitate contemplationis: nigra laboribus animarum gratia susceptis, formosa affectibus fervidis ex divini amoris abundantia comparatis: nigra misericordiae operibus, quae mentem, et corpus affligunt, formosa meditatione divinarum, quae molstias, et labores alleviunt. Ista igitur anima prius suam regionem deserit, hoc est, semetipsam, et proprium amorem, ac comoda derelinquit, ut pacificum regem alloqui, et eius conspectu frui possit. Ut enim inquit Greg. quis a semetipso deficiat ad eum, qui supra ipsum est, non appropinquat. Deinde Salomonem de dubiis interrogat, et humiliter audit, cum Christum verum regem, et Dominum in intimo orationis loquentem, et inspirantem auscultat. Domus eius opes superbas, et aulae magnificentiam videt, cum et coelestium rerum meditatione fructus carpit, utilitatemque non modicam experitur: *Parum namque videtur, captivo liberato, converso, et accenso, ut Hugo ait, audire praedicationem, nisi probet per affectum; et videre per cognitionem, nisi probet per effectum.* Et tandem avertit Domino aurum, aromata, et gemmas pretiosas, cum animas praedicationis verbo conversas in eius domum, et possessionem traducit. Quod namque aurum anima peccatoris iam conversi pretio-

sus? quod aroma suavius? quae gemma, aut margarita pulchrior? huius gratia verbum Patris omnipotens de coelo a regalibus sedibus in medio exterminii ad terras prosilivit. Et sane, cum ex bonis operibus sibi praemium aeternum donandum coniecit, et in divinis colloquiis vix aliquam stillam futurae felicitatis degustet, merito dicit, neque dimidiand bonorum partem, quae sperat, sibi narratam fuisse, quia illa bona futura sine ulla comparatione omnibus bonis huius saeculi maiora sunt, quae nec oculus vidit, nec auris audivit, neque unquam cor hominis apprehendit. Sed iam secundam foeminam, eiusdem vitae imaginem, producimus in medium, quae non minus aperte eius officium, et institutum declarat. Ipsa est Debora propheticissima uxor Lapidoth, quae viris, qui vere essent viri, deficientibus, gubernabat populos, et civibus iura decernit. Haec profecto mistam, sive compositam vitam aptissime representat. Debora namque interpretatur *ops*, quae in alvario commoratur, et nonnisi ad colligendos flores ex suo receptaculo egreditur; aculeum habet, quo pungat, et dulcorem, quo alliciat: eius labor ad hoc tendit, ut suavia mella componat, quae omnibus, tam magnis, quam parvis reputantur utilia. Unde Origenes: *Cuius opus tale est, ut eo reges, et medicos utantur ad sanitatem.* Ita vita mista est quasi apis studiosa, atque sollicita, quae duobus ministeriis occupata, vel potius uno, quod duo diversa officia comprehendit, ita diligenter in utroque laborat, ut neutrum aliorum querendum derelinquat. Cellam quasi alvearium libens inhabitat, ut in ea saecularum meditationum, et ferventium affectuum mella conficiat. Inde autem egreditur, non ut otiosa maneal, non ut in negotiis inutilibus per plateas, et vicos discurrat; sed ut flores animarum colligat, et ad favum coelestis patriae construendum inquirat; nec deesse illi debet aculeus iustitiae, et zeli, quo protervos impellat; nec misericordiae suavitatis, cuius dulcedine pusillos ad virtutem invitet. Quare Gregorius de praefatis loquens, qui praecipue hanc vitam profiterentur, sic inquit: *haec bonis rectoribus debet iuste consulens misericordia, et pio saeviens disciplina, non iustitia sit inanis, et aspera, et pietas sit remissa.* Sit igitur amor, sed non molliens: sit rigor, sed non exasperans: sit zelus, sed non immoderate saeviens: sit pietas, sed non plusquam expedit, parcens. Nec tandem labor suus talis est, ut solis principibus, et divitiibus prosit; hoc enim indicium ambitionis, et superbiae est, sed talis, ut etiam pauperibus, parvulisque proficiat. *Graeci, ac barbari, ait vas electionis, sapientibus, et insipientibus debitor sum.* Vita ergo mista dicitur verbo, et praestat exemplo: magnos instruit, pusillos docet, divites vocat ad regnum, et in plateis, et vicis civilitatis clamilians, pauperes, ac debiles, coecos, et claudos intrare compellit, ac in omnium usum, favum doctrinae evangelicae non minore aviditate, quam charitate componit. Erat Debora uxor Lapidoth, quod nomen interpretatur *fulgur*, quod iudex populi a Domino constituta (*Judic. 4*): *Sciebat sub palma inter Rama, et Bethel in monte Ephraim: ascen-*

debantque eam filii Israel in omne iudicium. Quis non videat, haec omnia satis apte vitae mistae congruere? Haec profecto uxor est fulguris, hoc est Christi Iesu, de quo dicitur (*Matth. 24*): *Sicut fulgur exit ab Oriente, et parit usque in Occidentem, ita erit et adventus filii hominis.* Hic ergo Dominus ab ipso die sui ortus vitam mistam in sponsam elegit, et sibi ardentissimo coniugii vinculo cohaesit, et usque ad diem ascensionis in eorum a latere suo minime discessit. Quod autem Debora habitaculum haberet sub palma, non obscure significat, vitam hanc mistam sub palma crucis sedere. *Inter Rama, et Bethel*, id est, inter contemplationem illius coelestis patriae, et inter utilitatem, quam proximis conferre satagit. Quod vero ad Deboram ascenderent filii Israel, illud sane denotat, ad hanc vitam mistam sub palma crucis commemorantem veras Israelitas venire, ut mentes eius illuminentur, et ad bonum accendantur. Postremo Debora Barach, et ex imperio Domini incitavit eum ad pugnam contra Sisaram principem exercitus regis Iabin. Barach autem onus impositum reluctante, si non ipsa populi gubernatrix in dimicationem pergat, audit ab ea (*Judic. 4*): *Ibo quidem tecum, sed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Sisara;* et haec quoque ad vitam mistam pertinet, non dubium est: nam vita ista virum religiosum vacante monet, dormientem excitat, ut fratribus suis consulet, pro Ecclesia laboret, et adversus vitiorum principem, scilicet diabolum, expeditionem suscipiat. Isle autem prudenter salutis suae, huius vitae societate, et adiutorio ad praelium exire detrectat, quia non est tutum sine orationis praesidio, et laboris industria adversus vitia, et peccata bellum intrare, et contra daemones dimicare. Ipse enim cum exercitu suo non osecitando vincitur, sed intente orando, et fortiter laborando a cordibus fidelium profligatur. Quo pacto victus est Amalech? certe Moyses orante, et populo pugnante victus est: nam cum *levaret Moyses manus, vincebat Israel;* si autem paululum remisisset, superabat Amalech; ita et nunc animo deprecante, et oculis Scripturam sacram, non libros vanos legentibus, et auribus impiorum errata in confessione expipientibus, et lingua verborum divinarum sagittas jaculante, ista enim efficiunt exercitum Domini, Amalectarum castra sunt prostermentum, id est, vitia ab Ecclesia fuganda. Quanta igitur est huius viri prudentia, qui ad certamen ineundum illius vitae, in cuius potestate est prosper eventus, societatis praesidium exposcit; et quanta huius vitae virtus, ut verbis Ambrosii utar, cui *dux exercitus dicit: nisi veneris, non ibo.* Quanta vitae fortitudo, quae a periculis filium nec materno revocat affectu, immo ad victoriam hortatur dicens, quod in manu mulieris sit summa victoriae. Sed quid est (*Judic. 4*): *Ibo quidem tecum, sed in hac vice victoria non reputabitur tibi: quia in manu mulieris, ipsa est Iabel, tradetur Sisara?* Profecto non cessat Dominus mille modis ostendere, quoniam haec spiritualis peccatorum victoria non vocibus, sed precibus, non eloquentia praec-

ipue, sed orationi tribuenda est. Iabel, ut ait Origenes, interpretatur *ascensio*, et lac morale Scripturae institutionem; clavus vero, vel ut septuaginta verterunt tabernaculum, *crucem* significat. Quid ergo est, Iabel hostilis exercitus decem Sisaram lacte sopiri, et clavo, aut palo vice mucronis interfici, nisi vitam mistam studio orationis, quod ad coelestia conscendunt, doctrinam efflicentem, quae vitam consopiat, proponere, et ostensionem crucis Christi, quae acies daemones interficit, ministrare? Debora itaque huius vitae mistae typos est, quae sub palma crucis contemplando habitat; et ad praelium adversus vitia obviosos provocat, et pie laborando de hostibus Dei gloriosam victoriam reportat.

Tertiam foeminam egregie vitam hanc mistam delineantem, illam arbutur esse, cuius memor Salomon dixit (*Proc. 31*): *Mulierem fortem quis inveniet?* omnia enim huius mulieris elegia animae vitam mistam colenti perbelle quadrant. Primum ait: *Quaesivit lanam, et linum, et operata est consilio manuum suarum:* super quae verba divus Augustinus (*serm. 217 de tempore*) inquit: *Si lana carnale aliquid, linum spirituale significat, quia in ordine vestimentorum interiora sunt linea vestimenta, lanae vero exteriora; quid erit lanam, et linum querere, nisi exteriora pietatis operari, et contemplationis interna, in quibus exercetur, inquirere? et quid erit operari consilio manuum suarum, nisi in his duobus ministeriis, non coactam, sed voluntariam, tota mentis contentione laborare? Illud quoque (*Proc. 31*): *De nocte surrexit, et dedique praedam domesticis suis, et cibaria ancillis suis.* Nam revera in nocte quietis lectulum deserit, et ad orationem, ad gemitus, et ad lacrymas surgit. Ibi quasi paupercula a diissimo rege elemosynas doctrinae impetrat, quas fidelibus postea distribuat. Haec autem doctrina non incongrue praeda, et cibus appellatur: cibus, quia ea fidelis populus sustentatur; praeda vero, quia non simpliciter postulat, sed vi, et potentia precum, quasi de manu Domini eripitur. Illud deinde (*ibid.*): *Manum suam misit ad fortilia, et digiti eius apprehenderunt fusum: manum mittit ad fortia, cum in contemplatione posita pro animarum salute magnos labores amplectitur voluntatis affectu: et digiti apprehendit fusum, cum id, quod secum habuit, mente concepit, suo tempore opere praestat: neque enim sufficit magna staturere, si non in opus prodeant, et executioni mandentur. Quod optime docuit Augustinus huic eundem locum explanans: *Diligenter, inquit, attende in lanificio duo instrumenta, colum, et fusum: in colo lana involuta, quae flos duenda transeat in fusum: quod in colo involutum est, adhuc in sinistra, et nondum in fuso est: quod in fuso collectum est, iam praeritum est. Opus ergo tuum in fuso sit, non in colo: in colo enim est, quod facturus es: in fuso, quod fecisti. Unde ergo si habes aliquid in fuso, ibi enim firmantur brachia tua, ibi erit fortis constantia tua, ibi securus Deo dices: da quia dedisti: dimitte, quia dimisi: fac, quia iam feci.* Haec ergo anima manibus apprehendit fortia,**

et digitis fustum, cum bona facienda mente proponit, dataque opportunitate, opere, quod statuit, exequitur. Quid plura? Non timebit domus suae a frigidioris nivis: omnes enim domesticus eius vestiti sunt duplicibus (Pro. 31.): quia ex eius doctrina discipuli induti sunt duplici contemplationis, Dei, et proximi, quae omne frigus peccati longe fugat. Subiungit deinde (ibid): *Fortitudo, et decor indumentum eius, et videbit in die novissimo*. Ecce eisdem vestimentis, quibus dilectus suos sponsus, induit. De sponso ait David (Psal. 92): *Dominus regnavit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem*. De sponsa vero: *fortitudo, et decor indumentum eius: fortitudo, ad tolerandam persersorum improbitatem; decor, ut decora appareat sponso inter exercitia vitae contemplativae. Et ridebit in die novissimo: quia in retributione gloriae coelestis implebitur illud Christi Domini (Luc. 21): Beati, qui nunc flestis, quia ridebitis.*

Accedo iam ad viros, qui hanc vitam mistam ex actione, et contemplatione ad vivum expresserunt. In horum numerum primum refero Iacob: vel cum virgas illas populeas videres, et amygdalinas ex parte decorticat: vel cum in itinere scalam illam a terra usque ad coelum profectam considerat: vel cum durum uxorum Lae, et Rachelis amplexibus vacat. Nam si, ut exposuit sanctus pater Albanus, virgae illae in canalibus positae, ut a gregibus videntur, vitam activam, et contemplativam designant: quid est sanctum Iacob utraque virgas per ordinem ponere, nisi ministerium Evangelii utriusque vitae actionibus operam dare. Haec industria ditatus est homo ultra modum, et habuit greges multos, ancillas, et servos, camelos, et asinos. Scala illa mystica vitam spirituales significat, per quam a terra in coelum ascendimus: quid aliud erit, scalam, et angelos ascendentes, et descendentes aspicere, nisi propriae vitae contemplationes, quibus vir apostolicus Deo intendit, et actiones, quibus vivit, examinare? Unde d. Gregorius (in par. 2. prol. cap. 5): *Iacob, inquit, praedicatorum signal, qui non solum caput Ecclesiae, id est Christum, contemplando, appetunt, sed ad membra illius miserando descendunt: quod angeli ascendentes, descendentes demonstrant. Nec vacat mysterio, quod Iacob non in terra Canaan, sed in itinere, et post solis occasum scalae visionem conspexit: hoc enim significat, ut adnotavit Beda, unumquemque non videre visiones spirituales, nisi deserat peccata, et vitia: nec nisi post occasum gloriae mundialis coelestia mysteria conspiciere. Denique si illae duae mulieres, ut diximus, duas praedictas vitas figurant, quid erit, Iacob amplexus in uxores accipere, nisi virum, quem ille signal, actioni, et contemplationi vacare?*

Moses etiam egregiae huius vitae mistae typum gessit, ut his verbis luculenter ostendit divus Gregor. (in suo past. par. 2. cap. 5), dum ait: *Moses crebro tabernaculum intrat, et exit: ut qui intus ad contemplationem rapitur, foris infirmantium negotiis urgetur. Intus arca considerat, foris onera carnalium portat.*

Qui de rebus quoque dubiis semper ad tabernaculum recurrit, coram testamenti arca Dominum consulit: exemplum proculdubio rectoribus praebens, ut cum foris ambigunt, quid disponant, ad mentem, quasi ad tabernaculum redeant: et velut, coram testamenti arca Dominum consultant, si de his in quibus habitant, apud semetipsos iustus sacri eloqui paginas requirant. Sic enim hanc vitam profectus se gerere debent, ut Moyses: qui scilicet, nunc mentis tabernaculum ingrediantur, ut Dominum videant, nunc ad proximos egrediantur, ut eorum spirituali necessitati subveniant: prius contemplentur, ut postea, quae apud Dominum facienda, et dicenda cognoverint, ea in utilitatem fratrum, et faciant, et dicant. Antea Dominum consultant, et eius voluntate cognita, quod ipse praescripserit, actione perficiant. Haec ratione contemplatio erit praesertim, et actio tum fratribus nostris utilior, tum laboranti fructuosior. Istud sane faciebat Paulus, illustrissimum eorum, qui mistam vitam sequuntur, exemplar. Iam enim in tertium coelum rapitur, iam inde descendens, ad coniugatorum statum mentis oculos revocat, et qualiter in oculis conversari debeant, non sane sine divini spiritus illuminatione dispensat: Propter fornicationem, inquit (2. Cor. 12), unusquisque suam uxorem habeat, et unaqueque suum virum habeat. Uxor viri debitum reddit, similiter autem et licet viri. Ecce iam coelestibus secretis inseritur, ait Gregorius, tamen per condescensionis viscera carnalium cubile perseratur: et quem sublevaris usque ad invisibilia erigit, hunc miseratus, ad secreta infirmantium oculus cordis fecit.

Accedit his vir insignis, quem Scriptura Salvatorem vocat, qui utraque manu pro dextera utebatur: talis enim esse debet, qui vitam mistam profectetur. Certe animarum liberator quem Deus volentarie genuit verbo veritatis, ut sit initium aliquod creaturae eius, ut scilicet populum suum, velut alter Aod a spiritualibus Moabitibus eripiat, in quibus daemones significantur, et in filiorum Dei libertatem afferat. Certe robustus, et fortis, qui intrepide pugnet, et adversus Domini hostes sine timore praefectur, et utraque manu pro dextera utatur. Manus dextera, ut mihi quidem videtur, oratio: manus sinistra, actio externa est. Ille igitur, sicut Aod, utraque manu utitur pro dextera, qui pariter, et ex instituto inter altissimam orationem, et utilissimam operationem, temporis spatia partitur, et fortassis gladii, quos Domini discipuli obtulerunt, dicentes: *Ecce duo gladii hic, et Dominus ad eos, esse satis, magna asseveratione pronunciat: quia in perfecto viro nihil aliud, nisi actio, et contemplationis perfectio requiritur, et hoc modo Abbas Theophylus apud Ioannem Eviratum hos duos gladios interpretatur, dicens: Duo gladii duas vitas significant, activam, et contemplativam. Si quis ergo has duas virtutes habeat, hic perfectus erit. Qui itaque ad perfectionem ascendere cupit, non uno tantum gladio pugnet, sed duobus, oratione scilicet, et actione, et sic dimicando vitia sua, et proximorum felicissima victoria prosternet.*

Nec minus clare, ut opinor, imago expressa

huius vitae mistae fuit Elcana, de quo sacra Scriptura ait (1. Reg. 1), quod habuit duas uxores, Annam, et Phoenemam, et quod habitabat in Ramathaim-sophim de monte Ephraim. Quae omnia, si attente perpendamus, miram imaginis ad prototypum conformitatem deprehendimus. Nam in primis Elcana interpretatur possessio Dei: et magnus profecto est ille, cuius inter ingentes Creatoris opes ratio habetur, et qui in possessionibus regis ditissimi numeratur. Si enim non consuevimus vocare possessionem regis aliquid parvum, et exiguum, ut denarium, aut obolum, sed aliquid magnum, atque pretiosum, ut urbem, aut provinciam, aut regnum; nunquam Scriptura sancta hunc virum in Dei possessionibus recenseret, si non aliquid nobile, pretiosum, et illustre denotaret. Hoc quid aliud significat, quam quod vitae mistae sectator ideo in magno pretio habetur apud Deum, ut illum, tanquam propriam possessionem, habere gloriatur? Quod autem Elcana duabus uxoribus Annae, et Phoenemae copularetur, perfectionem vitae mistae denotat, quae non contenta per contemplationem Deo vacare, actioni etiam in proximorum utilitatem pariter incumbit. Quod vero in Ramathaim-sophim habitaret, et in monte Ephraim, id ipsum apertius denotat: nam, ut adnotavit Origenes (sup. lib. 1. Reg.), Ramathaim altitudo, Sophim specula, quae altissimam speculationem vitae contemplativae praeserant. Ephraim fructificatio interpretatur: quae vitam activam designat, in proximorum utilitatem uteretur fructus producentem.

Ad extremum, a veritatis scopo non aberrabo, si dixerero regem Davidem optimam omnium imaginem, ac perfectissimum exemplar vitae mistae exluisse. Ille manibus fortis, sic enim Augustinus, et Gregorius eius nomen interpretantur, qui in manibus corporis ita laborabat, ut veniente leone, vel urso, persequeretur eos, erueretque praedam de ore eorum; et manibus mentis, quae affectiones sunt, ita Deum apprehendebat, ut ipsius Deus esset pars, atque beata possessio. Ille magnus contemplator, et fortis bellator: magnus quidem contemplator, cui constitutum est de Christo Dei Iacob, regius Psaltes in Israel, qui vere ait (2. Reg. 23): *Spiritus Domini locutus est per me, et sermo eius per linguam meam; robustus autem bellator: nam sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse est, quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit uno impetu. Haec eadem praestat vita mista, quae iam proximos iuvat, et a diaboli potestate eripit, dicens cum Iob (c. 21): Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferbam praedam. Iam ad Deum toto pectore anhelat, ita suspirans (Psal. 26): Tibi dixit cor meum, exquirit te facies mea. Faciem tuam Domine requiram. Iam sedens in cathedra non sine imperio instruit scientia ignorantes, pusillanimes mansuetudine melleat, et protervos increpationibus, ac mitis exeret. Iam cum magna humilitate ad pedes prostrata Domini, tanquam egregie psaltrix, eius perfectiones commemorat, et amorem flagrans, misericordias, beneficiaque collaudat: plane ad omnia parata, quae Dominus*

eius opera, et ministerio praestare voluerit, sicut David, de quo haec inquit Bernardus: *Audi hominem quem secundum cor suum invenerat Deus. Paratum, inquit, cor meum Deus: paratum cor meum. Paratum ad adversa, paratum ad prospera, paratum ad humilia, paratum ad sublimia, paratum ad universa quaecumque praesceperis. Vis pastorem ovium facere? vis constituere regem populorum? paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Quis ut David fidelis, ingrediens, et pergens ad imperium regis? Ita mistam vitam amplectens paratus est, et in publicum prodire, et secum in spe, et in silentio commanere, animarum lucra sectari, et propriis profectibus inhaerere: vacare Deo, et ad tempus proximorum causa Deum propter Deum delinquere. Certe paratus ad omnia, quae Dominus per illum, et in illo disposuerit operari: cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.*

HOMILIA XXIV.

Figure variae sacrae Scripturae propuntur, quae communi sanctorum Patrum calculo activam, et contemplativam vitam adamussim expriment, in eadem verba: Marian optimam partem elegit, etc.

Quemadmodum inter omnia bona naturalia homini collata nullum excellentius merito putamus, quam creatum fuisse ad exemplar, et imaginem ipsius Dei (Genes. 2): *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram; ita inter supernaturalia dona nullum maioris momenti iudicandum est, quam quod humanas nostras actiones divinis, quoad fieri possit, conformemus. Caput quidem Deus optimus Maximus, cuius bonitatis immensum est pelagus, non solum naturam eius a bonis exprimi per eam, quam gerimus, eius imaginem; sed et in exemplar a nobis assumi, operibus nostris imitandum. Quod grandiloquus, et eloquentissimus Pontifex Leo versans locum illum Davidicum (Psal. 24): *Universae viae Domini misericordia, et veritas, his verbis sapienter edixit: Forma conversionis fidelium ab exemplo venit operum divinorum: et merito Deus imitationem sui ab eis exegit, quos ad imaginem, et similitudinem suam fecit, cuius utique dignitate non aliter poteratur, quam si nobis misericordia intenerat, et veritas. Per quae enim ad salvandos salvator advenit, per haec ad salvandos debent properare salvati; hactenus d. Leo. Certe, si ita fas sit loqui, neminem cerere est, dedatum magis vitae contemplativae, et activae, quam Deum, cum nec a comprehensiva sui cognitione, nec a generatione Filii per intellectum, nec a spiratione Spiritus sancti momento uno discedat: ecce vitam contemplativam: nec a conservatione creaturarum, et regimine illarum illatenus unquam cesset (Act. 17): In ipso enim vivimus, movemur, et sumus, ut ait Apo:**